

HOLY SEE PRESS OFFICE
OFICINA DE PRENSA DE LA SANTA SEDE



BUREAU DE PRESSE DU SAINT-SIEGE
PRESSEAMT DES HEILIGEN STUHLIS

BOLLETTINO

SALA STAMPA DELLA SANTA SEDE

N. 0572

Martedì 03.10.2000

MESSAGGIO DEL SANTO PADRE ALL'EM.MO CARD. MAURICE MICHAEL OTUNGA NELLA RICORRENZA DEL 50° DI SACERDOZIO

MESSAGGIO DEL SANTO PADRE ALL'EM.MO CARD. MAURICE MICHAEL OTUNGA NELLA RICORRENZA DEL 50° DI SACERDOZIO

Pubblichiamo di seguito il Messaggio che il Santo Padre Giovanni Paolo II ha inviato all'Em.mo Card. Maurice Michael Otunga, Arcivescovo emerito di Nairobi, nella ricorrenza del 50° di Sacerdozio:

Venerabili Fratri Nostro

MAURICIO MICHAËLI S.R.E. CARDINALI OTUNGA

Archiepiscopo emerito Nairobiensi

itemque Ordinario Militari emerito Kenianae Nationis

Ad Te, Venerabilis Frater Noster, proxime celebraturum quinquagesimum Sacerdotii annum, has Litteras ex corde mittimus, ut tibi festivos animi Nostri sensus aperiamus, cuncta fausta ac felicia precantes.

Et quoniam novimus te in sacri ministerii perfunctione prompta navitate esse operatum Nobisque pro tua parte in universae Ecclesiae regimine adfuisse sedulum, hac oblata occasione cupimus de peractis laboribus tibi gratulari ac praecipua apostolatus tui momenta reminisci.

Sacerdos hic Romae constitutus, reversus in Patriam nonnulla munia in nativa Ecclesia Kisumuensi studiose explexisti: fuisti enim professor Theologiae in Seminario maiore atque alter a cancellario Curiae dum interea praestitisti operam etiam apud Delegationem Apostolicam pro Africa Occidentali et Orientali Britannica.

Anno MCMLVI, Pius PP. XII, Decessor Noster rec. mem., ob claras tuas mentis et cordis dotes rerumque sacrarum peritiam, te episcopali ordine insignivit atque elegit Auxiliarem memoratae dioecesis, dum nondum expleto lustro factus es Praesul Kisiianus. Dein renuntiatus es Coadiutor Archiepiscopi Metropolitae Nairobiensis Sedis, quam anno MCMLXXI regendam suscepisti. Insequenti tempore Paulus PP.VI tua egregia promerita

agnoscens te in Patrum Cardinalium Collegium cooptavit. Denique Ipsi Nos te nominavimus Ordinarium Militarem Kenianae Nationis.

Episcopali fungens gravissimo officio cotidie adlaborasti ut fideles tibi crediti, vocationis suae conscii, in fide, spe et caritate crescerent simulque sequerentur Christum, Magistrum divinum, eiusque testificarentur, praesertim exemplo, Evangelium, quod "libertatem filiorum Dei annuntiat et proclamat, omnem servitutem ex peccato ultimatim fluentem respuit...omnia talenta humana in Dei servitium hominumque bonum reduplicare indesinenter monet" (*Gaudium et spes*, 41).

Probe insuper novimus: sollicitam curam qua presbyteros, familias et milites fovisti necnon prudentiam, peritiam et constantiam animi quibus pastorem actionem es moderatus.

Neque praetereundas esse putamus tuam pietatem, sensum Ecclesiae et humanitatem, quae tibi conciliaverunt existimationem sacrorum Antistitum Conferentiae Episcopalis Keniae et peculiarium Coetuum Episcoporum Africae: pro quibus maioris momenti partes laudabiliter egisti.

Ceterum diligens fuisti sodalis Synodi Episcoporum et quorundam Congregationum Romanae Curiae atque in praesens membrum es Congregationis pro Institutis vitae consecratae et Societatibus vitae apostolicae.

Tam iucundum igitur ac sollemnem Sacerdotii tui recolens diem, Venerabilis Frater Noster, memor donorum, quibus clementissimus Deus te sustinuit atque ditavit, tam provide Patri plurimas debitasque solve grates laetus promens imo de pectore hoc laudis canticum: "*Confitebor tibi, Domine Deus meus, in toto corde meo et glorificabo nomen tuum in aeternum*" (*Ps* 86, 12).

Christus, Princeps Pastorum, deprecante Virgine Maria, perenni Apostolorum voce (cfr *Hymnus Akathistos*, 7), te superna gratia custodiat, foveat, protegat ac lectissimis donis iugiter repleat.

Quorum nuntia et conciliatrix ac praecipuae caritatis Nostrae testis esto Apostolica Benedictio, quam tibi, Venerabilis Frater, et omnibus quos caros habes, peramanter in Domino impertimus.

Ex Aedibus Vaticanis, die III mensis Septembris, anno Magni Iubilaei MM, Pontificatus Nostri vicesimo secundo.

IOANNES PAULUS II

[01975-07.01] [Testo originale: Latino]
